



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii  
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qualificatoris, Et  
Olim Complvti Sacræ Theologiæ Professoris. Opvs  
Theologicvm, Iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Disseritvr ...

**Izquierdo, Sebastián**

**Romae, 1670**

Quæst. 6. Vtrum Deus cognoscat mala. Et quomodò.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77011](#)

Potesque quæstio esse de nomine. Dico, si non  
men diffensus pro indicio negativo, & nomen af-  
fensus pro indicio affirmatiuo accipiuntur, ut ac-  
cipiuntur ab Arrubal 1. par. disput. 34. cap. 1. &  
ab alijs: videturque esse magis propriae cōrum  
acceptio; Deum per diffusum cognoscere omnem  
veritatem negatiuum, per affensem autem om-  
nem positivam quorumvis entium seu possibilium,  
seu impossibilium: siquidem omnem veritatem  
negatiuum per iudicium negatiuum, & omnem  
positivam per affirmatiuum cognoscit; ut satis,  
superque constat ex dictis. Si vero quoduis iu-  
dicium, sive affirmatiuum sit, sive negatiuum,  
respectu veritatis, quam intellectui persuaderet,  
dicatur affensus, diffensusque respectu opposita  
falsitatis: quo pacto à Vazq. 1. par. disput. 61. &  
ab alijs affensus, & diffensus vñspantur, vñ-  
spagatione fortasse non adeo propria. Comper-  
t est, omne iudicium Dei respectu veritatis seu po-  
sitivum, seu negatiuum per ipsum iudicatae affensem,  
respectu autem falsitatis opposita diffusum veni-  
re nuncupandum. In quo amplius non oportet  
morari.

## QVAESTIO VI.

*Vtrum Deus cognoscat mala. Et  
quomodo.*

64 **T**riplicem malorum genus distingui solet, natu-  
rae videlicet, culpe, & pœna. Malum  
naturæ appellatur, quod cuius naturæ est dis-  
conueniens aut positivum, ut calor aquæ, &  
febris homini, aut priuatiæ, ut cœcitas animali,  
& vniuersim carentia cuiusvis perfectionis natu-  
rae debite. Malum culpe est peccatum, cuius  
malitia aut est positiva dissolutio ad naturam  
rationalem ut talem, aut priuatio restitutioinis  
debitæ iuxta diuersas opiniones. Malum de-  
signique pœna ipsissimum est malum naturæ, ad-  
ditio solùm respectu punitionis alicuius delici-  
ti, in quam illud infigitur. Quo etiam pae-  
to malum culpe rationem pœnae sortiri potest.

65 Suppono ergo ut fide sanctum, hac omnia  
mala a Deo cognosci. Constat id imprimitis ex  
omnibus Scriptura locis, quæ prædican, omnia  
cognosci a Deo, & nihil ab oculis eius abscondi.  
Deinde specialiter ex illo Sapient. 8. *Monstra-  
 seit, antequam fiant.* ex illo Amos 5. *Cognoui-  
 sceler vestra.* & ex illo Amos 3. *Si est malum  
 in Civitate, quod non fecerit Dominus:* quodque  
subinde non cognoverit. In primo enim loco est  
sermo de malo naturæ. In secundo de malo cul-  
pe, & in tertio de malo pœnae. Ratio etiam cui-  
dentissima suffragatur. Quia omnia prædicta ma-  
la obiecta vera sunt, & cognoscibilia. Quocirca  
non possunt villo modo ignorari a Deo. Est tamen  
discremen inter mala naturæ, & pœnae ex una  
parte, & mala culpe ex altera; quod illa scientia  
etiam approbationis cognoscit Deus, hac vero  
solùm notitia simplici. Ob idque ea necesse dici-  
tur in Scriptura, non quia ignorat, sed quia non  
approbat, Abac 1. *Mundi sunt oculi tui, ne vi-  
deas malum.*

Sed quomodo eiusmodi mala cognoscuntur  
a Deo? Certè id etiam ex dictis hactenus satis  
conspicuum est. Nam vel mala sunt positiva;  
& sic eisdem modis cognoscuntur, ac cetera en-

tia positiva, de quibus egimus quæst. 1. 2. 3. &c. 4.  
Vel sunt mala priuatiua; & sic inter non entia  
sunt recensenda, de quibus egimus quæst. 5. Sed  
controuertunt nihilominus hic Theologi, an  
Deus cognoscat mala immediate per suam boni-  
tatem, vel per bonitatem creatam, cui opponuntur.  
Zumel 1. par. quæst. 14. artic. 10. conclus. 3.  
cum alijs a se relatis contendit, Deum per solam  
suam bonitatem nullo habito respectu ad creatam  
cognoscere omnia mala. Communis tamen ten-  
tia est, mala immediate cognosci a Deo per  
bonitatem creatam, qua priuant (sermo enim  
est de malis priuatiis) remota autem per boni-  
tatem Dei. Ita Fasol. 1. par. quæst. 14. artic. 10.  
dubit. 2. Vazq. disput. 62. cap. 2. Herice disput. 8.  
cap. 2. Gonzal. disput. 40. sect. 2. Soarlib. 3. de Attrib.  
cap. 3. Gasp. Hurt. disput. 3. de Scient. diff. 6. & apud  
eos alij.

Ego in hac re breviter censeo, mala omnia 67  
priuatiua eatenus solùm dicenda esse cognosci im-  
mediate per bonitatem creatam, quam remouent,  
quatenus non possunt non cognosci quodammodo  
respectu ad illam, nec ipsa bonitas, illis non  
cognitis, potest perfectè comprehendit prout de-  
negationibus in vniuersum quæst. 5. a nam. 56.  
dictum est. Quo sensu accipio omnes Autores,  
qui docent, huiusmodi mala per bona, qua remouent,  
a Deo cognosci immediate. Deinde exis-  
timo, Deum per suam bonitatem bifariam cognos-  
cere mala. Primo mediatè, quatenus, dum  
suam bonitatem perfectè comprehendit, in illa,  
& per illam cognoscit bona creata; ruris que per  
huiusmodi bona moda patulo ante dicto cognoscit  
mala, quando sunt priuatiua. Secundò, & pro-  
priùs, vniuersaliusque immediate, quatenus  
comprehendendo perfectè suam bonitatem, non  
potest non etiam in illa, & per illam cognoscere  
omnia mala. Porro, divinam bonitatem perfectè  
a Deo comprehendendi non posse, nisi vi talis  
comprehensionis in illa tanquam in medio deter-  
minante ab ipso Deo omnia bona creata, omnia-  
que mala cognoscantur, ex doctrina sapè suppo-  
sta de comprehensione notum est. Nihil enim  
plenè, & perfectè comprehendendi potest, ut sapè  
diximus, nisi ex vi cognitionis comprehensiua  
eius cuncta ad illud quoquomodo spectantia, do-  
coque enunciabilia attingantur. Bona autem  
omnia, & mala aliquo modo spectant ad boni-  
tatem Dei. Bona quidem: quia ab ea deriuantur,  
ut quædam eius participationes. Mala ve-  
ro: quia ab illa aliqua ratione excluduntur, ut  
quid aduersum ei, & oppositum, ab eiusque  
infinitate, & puritate alienum. Miroque  
alios modos cognoscendi mala ceteris obiectis  
communes.

Sed dubitari hic adhuc potest, an Deus ma-  
la culpe sequè, ac cetera, in sua omnipotentiæ  
cognoscat, in ceterisque subinde formalitatibus  
identificatis cum illa. Ea enim cognoscere in sua  
scientia, in suaque nolitione, sive odio de illis,  
atque etiam in suo Verbo, & Spiritu sancto,  
prout ista ad illa sunt respectiva, vnumquodque  
suo modo, ex dictis in precedentibus satis est  
notum. Ratio autem dubitandi est: quia omni-  
potentia Dei nullo modo est causa horum malo-  
rum, sicuti est aliorum. Respondeo tamen, ma-  
la etiam culpe cognosci a Deo in sua omnipoten-  
tia, non ut quid factibile, vel factum ab illa,  
sed ut quid ei prorsus repugnans; ab eaque  
non factum, neque factibile; aut etiam ut quid  
per illam tum permittibile, tum impedibile.

Quo-

Quomodo autem omnia insuper mala in alijs entibus , aut secum connexis , aut sine se non comprehensibilibus cognoscantur a Deo . Quomodo item ex Deo , & ex alijs eisdem entibus cognoscibilia , atque cognita sunt ab ipso ; ex dictis insimili in precedentibus questionibus satis notum est .

## QVAESTIO VII.

*Vtrum Deus cognoscat enunciabilia .  
Et qualiter .*

69 **E**nunciabilia dicuntur obiecta enunciationum , seu propositionum vocalium nostris iudicis correspondientium , quae subinde obiecta quoque sunt ipsorum iudiciorum . De quibus imprimis est certum , cognosci a Deo quoad veritates obiectivas , quae in eis continentur , aut supponuntur tanquam verificativa realia enunciationum , & iudiciorum nostrorum , quorum ipsa sunt propria obiectiva , sive conceptus obiectivus . Cum certum sit , ut fatis constat ex haec tenus dictis , nullam veritatem obiectivam posse ignorari a Deo . Deinde est certum , talia enunciabilia , seu potius tales veritates obiectivas non cognosci a Deo , sicut a nobis , per modum enunciabilium , hoc est , interueniente comparatione , qua unus conceptus obiectivus tanquam praedictum alteri comparatur tanquam subiecto , aut componendo illud cum hoc per affirmationem , aut dividendo illud ab hoc per negationem , iuxta doctrinam de natura iudicij nostri tum componentis , tum dividentis traditam late in Pharo Scient. disput. 2. quest. 4. Sed cognosci a Deo intuitivo quodammodo simplici quodam modo inspiciente , ac penetrante , quidquid unumquodque in se re ipsa aut est , aut non est , ultra omnem comparationem unius conceptus obiectivi cum altero per modum compositionis , aut divisionis . In quo conuentur Theologi cum S.Tho. 2.par. quest. 14. art. 14. & alijs Patribus . Prout supra iam a nobis statutum est disput. 24. quest. 3.

70 Porro quorū sunt diversæ enunciations , sive propositiones iuxta divisiones earum datas a nobis in Pharo Scient. disput. 19. quest. 1. tot sunt obiecta earum enunciabilia diuersa , quae quoad veritates obiectivas in eis contentas , vel suppositiones cognoscuntur a Deo . Huiusmodi autem veritatum obiectivarum aliae sunt quiditatibus , aliae existentiales , & utraque vel absolute , vel conditionatae , ad quas reducuntur disiunctioe . Existentialiumque rursus aliae de presenti sunt , aliae de futuro , & aliae de præterito , iuxta doctrinam viuensalem de statibus rerum , ad quos haec veritates spectant , & penes quorum diuersitatem discriminantur , traditam etiam a nobis in Pharo Scient. disput. 10. per totam , quae ad rem videnda .

71 Quomodo autem enunciabilium , quae nostrarum propositionum , & iudiciorum obiecta sunt , alia in se habeant , sive contineant veritatem obiectivam non solum a nobis , sed etiam a Deo , ab alijsque intuentibus , sive per species proprias cognoscentibus iudicabilem : alia vero catenus solum cognoscantur vera , quatenus vel alijs in se veris equivalent , vel aliorum veritatem obiectivam supponunt : proindeque a nobis dumtaxat

cognoscentibus per alienas species per se , & prout apparent , concepibilia , atque adeo iudicabilia sunt ; non vero itidem a Deo , & ab alijs cognoscentibus per species proprias : ab hisque propterea dumtaxat iudicanda veniant ea veritates obiectivæ , quibus equivalent , vel quas supponunt , in eadem disput. 10. quest. 4. videndum est ; ne , que ibi iam scripta sunt , frustra hic repetantur .

Iam sequebatur hic examinandum , utrum Deus cognoscat entia rationis , & qualiter , & an illa faciat . Verum quia tria hac in eadem Pharo Scient. disput. 12. quest. 5. ex professo examinata , ex proprijsque principijs dedimus resolutam illuc remittimus Lectorem , & ad cetera per- gimus .

## DISPUTATIO 26.

De scientia Dei mere naturali .

**P**reter ea , que scientia Dei naturali , & liberae communia sunt , de quibus hactenus , alia quedam in speciali supersunt in hac disput. determinanda , & explicanda de scientia mere naturali , qua Deus obiecta metaphysicæ necessaria cognoscit . Qualia sunt quoad existentiam absolutam Deus ipse , & negationes chymarum suomodo : quod quiditatem autem , aut etiam existentiam conditionatam cetera cuncta obiecta seu impossibilita , seu possibilia in se quiditatem , & consequenter veritatem obiectivam habentia . Supponenda autem hic iterum est , itemque recolenda , arque recognoscenda tota doctrina de statibus rerum , deque possibiliate , atque impossibilitate eorum , quam deditus in Pharo Scient. disput. 10. & 11. ut pote a qua omnino dependent omnia firmè , que sunt dicenda in praesenti disput.

## QVAESTIO I.

*Quas veritates obiectivas metaphysicæ necessarias cognoscat Deus circa creaturas possibles . Et quibus actibus .*

**C**um certum sit , omnem veritatem obiecti- <sup>2</sup> um in se , seu per se cognoscibilem cognosci a Deo ; certum quoque erit , Deum circa creaturas possibiles eas omnes veritates metaphysicæ necessarias cognoscere , que in ipsis reuerantur , in se , seu per se cognoscibiles . Quoniam autem ea sint non discutiendum modò , sed supponendum a nobis est ex iam exploratis , & statutis in Pharo Scient. disput. 10.

Supponimus itaque ex ibi dictis primò , Deum circa unquamque rem possibilem cognoscere omnes veritates quiditatibus tam conditionatas , quam absolutas ei necessario conuenientes prout habent esse in statu quiditativo tam conditionato , quam absolute : absolutas quidem , ut , Petrus est potens exire , sive possibilis ; Petrus est homo ; est rationalis ; est risibilis , &c. Adio est conne-